RESPONSORVM

D. TIBERII DECIANI VTINENSIS, CLARISSIMI AC CELEBERRIMI IVRIS VTRIVSQVE CONSVLTISSIMI, COMITIS LATERANENSIS, EQVITIS SPLENDIDISSIMI:

AC OLIM IN FLORIDISSIMO OMNIVM EVROpæ Gymnaſio Patauino Iuris Cæſarei, in prima ſede matutina, ordinarij interpretis,

Volumen Quintum.

RESPONSA PLANE OMNIBVS TVM IN FORO, TVM in ſcholis verſantibus, apprimè conducibilia, non minus neceſſaria, quàm vtilia.

ACCESSIT PRAETEREA INDEX RERVM OMNIVM LOcorumque inſignium locupletiſſimus.

15 96.

Cum S. Cæſ. Maieſtatis Priuilegio.

Francofurti ad Mœn. impenſis Hæredum Sigiſ. Feyrabendij.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA · SALAMANCA

R.^{mo} D. FRANCISCO MANTICAE CLARISSIMO I. C.

IN SACRO ROTAE IVDICIO AVDITORI, Nicolaus Decianus Tiberij filius. S.P.D.

INcredibile dictu, MANTICA vir Clariſſime, quantum ego capiam ſuauitatis & voluptatis ex recordationē temporis illius, quo magna voluntatum, atque ſtudiorum conſenſione, nec minori inter nos mutua beneuolentia charitate, Patauij olim iungebamur. Et vero, vt ſcis, nihil tam naturæ aptum, tam conueniens fingi, aut excogitari poteſt, quam fructus amicitiæ ab ineunte adoleſcentia aſſiduis officiis educatæ. quid porro noſtra conſuetudine iucundius, quid in vſu, vitaque communi opportunius, aut amabilius amicorum pari, cuiuſmodi nos eſſe memini non modo eodem tecto, eadem ætate, eadem patria, ſed etiam animis pene gemellis? quanta vero fide, integritate, conſtantia alter alterum dilexerit, mihi ipſe conſcius ſum, qui in te perpetuo quaſi lumen aliquod inſitæ probitatis atque indolis ad perfectam virtutem perſpicere mihi videbar, vnde fieret, vt me magis ad te amandum & colendum allicerer. De te non dubito, quin illam meam animi inductionem ab optima cauſa profectam pari ſtudio complexus fueris, id quod merita tua in me quamplurima confirmarunt. Itaq; nihil eſſe debet mihi tam charum, tam reconditum, quod, iſto amandi ſenſu excitatus, non velim mihi tecum quam maxime commune fieri. Quid quæris? patris Reſponſa edenda curauimus, quorum inſcriptio cui iuſtius quam tibi debebatur? pater meus, quamdiu in tractandis legibus, deinde in eiſdem interpretandis publice Patauij commoratus eſt, te in filij loco, tu vero illum in patris habuiſti: atque adeo nihilo ſecius, atque fratres ipſi inter nos amauimus, amamus etiam nunc, vt ex me auguror, neque honor, qui tibi tua ſingulari doctrina obuenit, quidquam ex inueterata noſtra amicitia detraxit, imo ſplendidiorem eam reddidiſſe puto, vnde accidit, vt hoc munus, quod miſi, eo tibi debeat eſſe gratum, quod à patre quondam meo, nunc à me fratre altero optimo iure accipias. Vale vir Clariſſime.

TIBERII DECIANI IVRIS CONSVLTI VTINENSIS CELEBERRIMI,

ET IN PATAVINO GYMNASIO IVRIS CIVILIS matutinis horis primarij olim interpretis,

RESPONSORVM
Volumen Quintum.

ARGVMENTVM.

Vendita rei pars an poſſit recuperari per agnatum vel vicinum.

SVMMARIVM.

1 *Venditione plurium rerum facta diuerſis pretiis pro ſingulis rebus venditis tot cenſentur eſſe venditiones quot ſunt res.*
Et quando id procedat.
Et circa id vide aliqua iuris ſimilia.
Et limitationes regula ſupradicta vide infra num. 11. & 20. & 37.
2 *Statuta contra ius commune prodita ſunt ſtricte interpretanda.*
3 *Statutum praeferens agnatos vti odioſum & reſtringendum non habet locum in caſu ſicto.*
Et circa hoc ſtatutum vide alia ibi.
4 *Voluntas & mens contrahentium in contractibus praedominatur, & etiam contra verba attenditur, maxime ſi ſit veroſimilis.*
Et circa hoc vide plura ibi.
5 *Numerus ſingularis contrarius eſt plurali, nec ipſum patitur.*
Idem tamen numerus quandoque etiam pluralem concipit numerum. ibi.
Et quando & quo caſu eum concipiat, vide ibid.
6 *Geminata replicatio arguit voluntatem.*
Item multo magis eam arguet triplicatio & quadruplicatio.
7 *Venditiones plures vbi ſunt ex venditio agitur ſoluto cuiuſcunque rei vendita pretio.*
8 *Actus ſequens oſtendit qualitatem actus praecedentis.*
Et vide ibi notab. exemplum.
9 *Diſpenens, ac teſtator dicitur ſemetipſum gloſſare.*
10 *Dictionis, vna, quae ſit natura.*
Item quid operetur quando eſt ei addita dictio, cum, id eſt, vna cum, ibi.
11 *Regula de qua in l. ſcire debemus. ff. de verb. oblig. limitatur hic & vide aliam limitationem. num. 20.*
12 *Empturus fuiſſe rem aliquam quando quis non cenſeatur.*
13 *Parum & nihil aequiparantur.*
14 *Modicum emolumentum quod dicatur.*
15 *Vtilitas communis & licita eſt ea, quae reddit quinq; pro centum.*
16 *Vtilitas probatur ex prouentu.*
17 *Iactare ſuum nemo praeſumitur & iſta eſt naturalis, & vehemens praeſumptio.*
Imo haec praeſumptio omnes alias ſuperat.
Item in dubio ea ſemper eſt capienda praeſumptio, quae minorem rei ſuae iactationem inducit.
18 *Veroſimile, non poſſibile attenditur in probationibus.*
19 *Probatio in eo non eſt ibi, quod non eſt veriſimile.*
Et de hac materia vide alia ibi.
20 *Regula de qua in praecitato text. l. ſcire debemus, etiam limitatur hic & vide etiam num. 37.*
21 *Iuriſdictiones non faciunt pertinentias, ſed deſtinatio, & vſus patrisfamilias.*
22 *Poſſeſſio caſtri accepta quid in ſe includat.*
23 *Venditis pluribus rebus in eodem contractu an & quando apprehenſa poſſeſſione vnius rei dicatur apprehenſa poſſeſſio etiam alterius.*
24 *Foemina non eſt capax iuriſdictionis maxime in feudo rectis & legalibus.*
25 *Res de facili reuertitur ad naturam ſuam.*
26 *Emptionis & venditionis in contractu fit interpretatio contra venditorem quando res eſt dubia.*
27 *Res potius quam actus ſuccurrendum eſt in obſcuris.*
28 *Poſſeſſoris fauore eſt in dubio pronunciandum.*
29 *Benignior interpretatio ſemper eſt capienda.*
30 *Interpretatio ea accipi debet in dubio, quae magis ſapit aequitatem.*
Item de aequitate vide plura pulchra ibi.
31 *Arbiter & arbitrator ſequi debet aequitatem prae caeteris omnibus.*
Idq; procedit etiam ſi datum ſit arbitro arbitrium indicandi alte & baſſe. ibi.
32 *Iudicandum eſt in dubio pro eo, qui tractat de damno vitando, non de lucro captando.*
33 *Error etiam in facto proprio praeſumitur, quando tractatur de damno vitando.*
34 *Conſanguineus ex forma ſtatuti redimere intendens bona vendita per conſanguineum dicitur tractare de lucro captando, emptor vero de damno vitando.*
35 *Actus, qui ex duplici capite fieri poteſt, cenſetur factus ex veroſimiliori.*
Idq; procedit etiam ſi alterum caput ſit magis expreſſum.
36 *Iuramento eius, de cuius animo agitur, ſtandum eſt in iis, quae in animo conſiſtunt.*
Maxime quando iurare debens eſt perſona nobilis, & in dignitate conſtituta. ibi.
Et de variis fauoribus nobilitatis à iure receptis vide ibi.
38 *Praeſumptio vna tollit aliam.*

IMPRESSVM FRANCOFORTI
AD MOENVM, PER IOANNEM FEYR-
ABEND, IMPENSIS HÆREDVM
Sigiſmundi Feyrabendij.

Anno M. D. XCVI.